tentiæ insistere, anteſignanis religionum præcipere non ceſſabat, ne quidquam in ſubſidium pecuniæ erogarent; quo fiebat, ut Clementis acerbitatem, durumque nimis in Rempublicam animum conquererentur. Sed nihil ob id Senatus animo frangebatur; quinimmo majori ſedulitate, quæ ad ſumptus neceſſaria forent, comparabat, ne ulla in re populis, provinciiſque ſibi ſubjectis deeſſe videretur. Itaque Vincentius Capellius imperator declaratur; viginti triremes reliquis adjiciuntur, quas in Dalmatiæ provincia, Corcyra, Zacyntho inſulis, & Cretæ regno inſtrui Senatus juſſerat, ut univerſa claſſis ſexaginta triremium numero conſtaret. Legatus Hieronymus Canalis eligitur; nam Franciſcus Paſchalicus tunc alterius legati munere fungebatur. Capellio Senatus mandat, ut maritimis Reipublicæ oris, atque oppidis opem ferat, ne quid ſubditis, illorumque rebus detrimenti inferatur, provideat. Verumtamen nulla in re aut Cæſareanæ, aut Turcicæ claſſi conatibus obſiſtat, vel faveat; utriſque ſe amicum præbeat; a portubus minime prohibeat, commeatus importari ſinat, non arma, ceteraque alia inſtrumenta bellica. Hæc claſſis imperatori in mandatis data fuere. 1532

Venetorum ſedulitas ad pecuniã cõparandam.

Vincentius Capellius claſſis imperator eligitur, & triremium numerus augetur.

Hieronymus Canalis, Franciſcus Paſchalicus claſſis legati.

Cum autem Suleimanus Pannonicæ expeditionis conſilia, quæ diu in animo verſaverat, perficere vellet, ut Venetos ſibi conciliaret, in illos haud vulgaria benevolentiæ ſigna edidit, cogitationibus iis relictis, quibus antea, ut Byzantii emporium augeret, illuc aromata, atque omnis generis merces convehi juſſerat; ex illius ditionibus frumenta, tormentariumque pulverem aſportandi conceſſa facultate. Omnibuſque itineri neceſſariis comparatis rebus, Byzantio profectus, Hadrianopolim pervenit, bellum Pannonicum indixit; ac quamplurimis undique ad exercitum confluentibus, cum ad Hungariæ fines perveniſſet, ad centum & quinquaginta millium peditum numerum copiæ acceſserant, quarum robur prætoriani milites, quos *Janizzeros* Turcæ vocant, ad viginti millia erant. His fretus nihil ſibi obſiſtere poſſe ratus, quin quacumque pervaſiſſet, cuncta victoriis, ac triumphis cumularet; cum ab Albam Græcam ſubſtitiſſet, cum Cæſare acie confligere ſe velle per exercitum vulgaverat, in tumidam ſpem erectus, ſi committere prælium vellet, haud dubia ſe victoria potiturum.

Suleimanus ad bellum Pannonicũ proficiſcitur.

At